



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Simonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

inferendum potius malum minus Paulo, nisi quando Paulus ex charitate tenetur potius illud malum minus subire, ut proinde non sit rationabiliter invitus: v. g. si fur determinatus sit furari à Petro, qui ob tale furtum redigetur ad extremam, vel quasi extremam necessitatem, licitum est consulere illi, ut potius furetur aliquantulum à Paulo divite, qui in tali casu hic non esset rationabiliter invitus; si autem sit in potestate suadentis impedire omninò damnificationem; & ipse suadeat minus damnum, peccat graviter, & ad restitutionem tenetur.

S I M O N I A.

§25. **Q**Uæritur. An citra Simoniam dari possit temporale tanquam motivum ad obtinendum Spirituale, vel possit dari in gratuitam compensationem pro Spirituali, aut è contra; vel possit etiam dari Spirituale propter temporale, tanquam propter motivum principale, ac finale, ita ut pluries æstimetur temporale istud, quam ipsa res spiritualis?

Resp. Perspicuum est, Simoniam committi, quoties datur temporale pro Spirituali, etiamsi non detur tanquam pretium, sed precisè tanquam motivum, si detur animo obligandi alterum ad conferendum Spirituale, aut si detur temporale in gratuitam compensationem pro Spirituali, vel è contra, & a fortiori Simoniam committi, si temporale sit motivum principale ad dandum Spirituale, ita ut pluries æstimetur, quàm ipsa res Spiritualis, eo quod in hoc ultimo duplex irreverentia adverius rem

Sacram committatur, altera quod permittetur cum temporali, tanquam pro pretio, cui censetur æquiparari, altera quod supra rem ipsam temporalem æstimetur, ut proinde res Spiritualis ordinetur ut medium ad obtinendam rem temporalem, tanquam ad ejus finem, quod proculdubio summam continet inordinationem, & irreverentiam; hinc jure meritò damnatæ sunt opiniones oppositæ ab Innoc. XI. cum propositionibus 45. & 46.

526. Quæritur. An sit Simonia dare temporale, pro Spirituali, vel è contra cum pacto solum amicitiae non justitiæ, hoc est cum pacto solum obligante ex benevolentia, & gratitudine, aut etiam ex fidelitate, non verò ex justitia?

Resp. non pauci affirmarunt ad Simoniam requiri, quod temporale pro Spirituali exigatur vi pacti tanquam pretium, seu ut debitum ex justitia, nec sufficere, quod obligatio naturalis gratitudinis in pactum deducatur; aut quod temporale pro Spirituali detur ut gratuita compensatio, seu ut debitum in compensationem: Hic tamen error in supracitatis propositionibus virtualiter damnatur, ratio est, quia sicut usura committitur, dum ultra sortem aliquid exigitur tãquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & non tanquam debitum ex justitia, nec non si dicatur oretenus dari in gratuitam compensationem, detur tamen tanquam debitum, perindè ac si pactum præcessisset, ut patet ex prop. 42. inter damnatas ab eodem Pontifice; ita similiter Simonia committitur dando temporale pro Spirituali, vel è contra cum hujusmodi pacto, nam ex communi axiomate,

te,

te, quod in Temporalibus est usura, in Spiritualibus est Simoniam; tum etiam, quia si hæc via obligandi se ex gratitudine, vel amicitia, & non ex justitia esset licita, pateret immensum ostium usuris, & Simoniam palliatis.

527. Quæritur. An sit Simoniacus, qui accipiens beneficium Ecclesiasticum promittit se fore gratum?

Resp. Si promittat sincerè, & sine intentione dandi temporale pro Spiritualibus, sed solum exponendo suam obligationem antidoralem, non erit Simoniacus, nam per ea verba non manet obligatus ad dandum aliquid temporale, sed solum ad implendam obligationem antidoralem, quam implere potest fundendo preces ad Deum pro datore, seu resignatore Beneficii, in quo nullum est Simoniam vestigium, si verò proferat ea verba taliter, quod attentis circumstantiis significet, se daturum temporale pro Spiritualibus, committet crimen Simoniam conventionalis, pœnis juris Canonici cõdemnandæ, quia quamvis ea prolatio verborum purè sumpta non significet aliquod munus temporale tribuendum, ex circumstantiis tamen, & communi modo loquendi, verè significat tribuendam esse compensationem temporalem,

528. Quæritur. An Beneficiarius, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, sit Simoniacus?

Resp. Si enim hujusmodi distributiones respicit, quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat; si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi verò distributiones respicit secunda-

rio, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad sui sustentationem, constat, quod non vendit actionem virtutis, & ita Simoniam non committit, nec peccat; nam qui in actione virtutis principaliter respicit Deum, aut motivum supernale, tanquam finem principaliter intentum, & in eadem actione respicit commodum temporale, tanquam finem secundarium, & minus principalem, sic non vendit actum spirituales, & ita cogita de eo, qui celebrat, vel communicat, aut recitat. Rosarium &c. propter stipendium.

529. *Quæritur.* An famuli, & familiares Cardinalium, Episcoporum, & aliorum Prælatorum, qui cum spe obtinendi aliquod beneficium Ecclesiasticum illis famulantur, & obsequia præstant; sint Simoniaci?

Resp. Qui dat munus ab obsequio, sive qui exhibet famulatum taliter, ut per illum non moveat, neque inclinet voluntatem Collatoris ad conferendum beneficium, licet habeat aliquam spem perventendi ad illud, & hoc sensu dicatur famulari propter beneficium, tanquam propter finem secundarium, non erit Simoniacus; si vero præstet munus suum ab obsequio, vel principaliter propter promotionem ad beneficium, vel cum animo alliciendi suo famulatu voluntatem Prælati, vel alterius Collatoris ad talem promotionem, Simoniacus erit. Similiter Cardinales, & alii Prælati Simoniacè delinquent, si obsequia temporalia famulorum, quæ compensare debent mercede temporali, velint compensare beneficio Ecclesiastico: hoc enim virtualiter est venditio, & commutatio beneficii pro obse-

obsequio temporali, & tunc dant beneficium propter munus ab obsequio, tanquam propter finem principalem.

530. Quæritur. An Simoniam committatur ab eo, qui pecuniam, vel aliud munus offert, ut in Prælatum Regularem eligatur?

Resp. Affirmativè, non sicut ac qui pecuniam offert ad beneficium obtinendum; dubium tamen est, an ille excommunicationem incurrat latam contra obtinentes Simoniacè beneficium, quia dubium est apud DD. utrum nomine beneficii veniat etiam Prælatum Regularem.

531. Quæritur. An Simoniam contrahant Petrus, & Paulus, qui inter se ita conveniunt; Ego eligam te in Priorem, & Tu eligas me in Provincialem?

Resp. Nonnulli probabiliter putant, quod quamvis hic contractus non vacet culpa mortali, non sit tamen Simoniacus; quia non permutatur temporale cum Spirituali, sed Spirituale cum Spirituali; idemque docent si duo compatroni beneficii conveniant, ut unus prima vice præsentet quem mavult alter, & hic altera vice præsentet ad arbitrium illius.

532. Quæritur. An sit Simoniam, pro intercessione offerre pecuniam intercessori mediato, vel immediato in ordine ad obtinendum beneficium, etiam si offeratur ut motivum?

Resp. Affirmativè, sicut etiam paratur via ad beneficium per pecuniam, si offeratur tanquam pretium Collatori, ita etiam si offeratur intercessori sive mediato, sive immediato.